

COGNOMUS. — ex testimonio Joannis Baptistae, prophetae et magistri nostri, ex tot tantisque miraculis quae patrasti, ex doctrina tua celestis, ex vite tuae sanctitate et ex moribus tuis, quos assidue tecum conversantes experimur esse coelestes, angelicos et divinos.

FILIUS DEI. — Graeca addunt: τὸν υἱόν, id est viventis. Sic et Syrus et Arabicus, *g. d.* Credimus te esse Filium Dei: quare pariter credimus omnia tua dicta esse divina et verissima, etiamsi ea non intelligamus, ideoque esse vivifica; ac salutem et vitam aeternam conferre, quia tu es Filius Dei vivi, qui scilicet per essentiam est vita, quam ipse tibi communicat, ac proinde nil a te nisi vitale et vivificum prodire potest, nec aliud a te expectamus.

71. RESPONDIT EIS JESUS: NONNE EGO VOS DUODECIM ELEGI? ET (tamen) EX VOBIS UNUS DIABOLUS EST. — *g. d.* Tu, o Petre, nomine omnium Apostolorum respondes, quasi omnes in me credant mihi quae sint fideles amici: sed scito te falli; nam unus ex eis diabolus est, mihi incredulus et infidus, qui me prodet. Ita Theophylactus.

DUODECIM ELEGI. — quasi ad apostolatam secundum presentem statum aptos et idoneos. Unde videtur quod Judas quoque proditor, cum primitus a Christo electus est bonus probusque fuerit; improbum enim eligere prudentia et charitas velant. Ita S. Cyrillus, Leonius, Ammonius, Tolotus, Maldonatus et alii, ac S. Hieronymus, lib. III *Contra Pelag.*, et Tertullianus, lib. I *De Praescript. adversus haeret.*, cap. III. Licet nonnulli putent Judam, cum esset malus, idque sciret Christus, ab eo tamen fuisse electum in Apostolum eo consilio, ut esset aliquis ex suis qui eum proderet, itaque passioni suae, mortique, indeque redemptioni hominum, occasionem modumque exhiberet. Tribuunt hanc sententiam Bede et S. Augustinus, sed neuter id ipsum dicit, imo uterque potius innuit Judam electum a Christo, cum bonus esset, etiamsi sciretur malus sua culpa futurus. Audi S. Augustinum: «Consecratus est duodecim numerus eorum, qui per quatuor cardines mundi Trinitatem fuerant denuntiaturi; non autem quia perit inde unus, ideo illius numeri honor ademptus; in locum enim pereuntis alius subrogatus est.» Et paucis interjectis: «Electus est iste, de quo nolente et nesciente magnum aliquid boni fieret: sicut enim iniqui male utuntur bonis operibus Dei, sic e contra Deus bene ulitur malis operibus hominum: malo Juda bene usus est Dominus, tradi se perfallit, ut nos redimeret.» Audi et Bedam: «Ad aliud elegit undecim, ad aliud unum; illos, ut in Apostolica dignitate perseverarent; istum, ut per conditionis ejus officium salutem humani generis operaretur.»

DIABOLUS. — Syrus, *satanas*; Nonnus, «qui doctur apud posteros alius novus diabolus.» Christus Judam nominare noluit, ut ejus fama

parceret. «Neque eum manifestavit, ait Chrysostomus, neque latere voluit: illud, ne impudenter contenderet; hoc, ne latere arbitratus licentius ageret.» Simul ut Apostollis timorem injiceret, ne et ipsi instar Jude apostatarent, ut sibi suaeque constantiae superbe praefiderent. Audi Cyrillum: «Acrioribus eos confirmat verbis, diligentioresque facit, periculo ante oculos positi: sic enim dicere videtur: Magna vobis, o discipuli, vigilantia magnoque studio ad salutem opus est; lubrica enim admodum conditionis est via.» Et nonnullis interjectis: «vigilantiores facit omnes, quia quis traditurus sit clare non dicit, sed uni generaliter tante impietatis onus immingere affirmans, sollicitos omnes reddit, et horrore ad majorem vigilantiam erigit.» Denique Augustinus: «Non illum expressit, ait, sed nec sinit, ut omnes timerent quamvis unus periret.»

Quaes, cur Judas vocetur diabolus. Respondit deo: *Primo*, quia fuit *diabolus*, id est calumniator; *diabolus* *secundo*, quia fuit *diabolus*, id est calumniator; *diabolus* *tercio*, quia fuit *diabolus*, id est calumniator; *diabolus* *quarto*, quia fuit *diabolus*, id est calumniator.

Secundo, fuit diabolus, hebr. et syriac. *satan*, id est adversarius, quia Christo se opposuit. *Tercio*, fuit diabolus; quia Christo incredulus fuit, fur et mendax; diabolus enim mendax est et pater ejus, scilicet mendacii, *Joan. viii.* Unde Christus ait: «Diabolus est,» in presenti, non erit, in futuro.

Quarto, fuit diabolus, id est minister diaboli, instrumentum et organum diaboli. Nam diaboli impulsu prodidit Christum, Deum et Dominum suum, quasi possessus a daemone. Unde Joannes, *xiii. 2*, ait intrasse in eum Satanam. Ita S. Chrysostomus, Euthymius et alii. Sic vulgo *diabolus* vocatur homo sceleratus et pessimus.

Quinto, fuit diabolus, id est proditor Christi, Sic enim *diabolus*, pro proditore accipitur *Eccli. xxvi. 6*, per catachresin; nam Noster verit, «*ci*vilis delaturam,» sive «*pro*ditionem,» et verit Tigurina et Lyranus. Sic diabolus est proditor angelus, quia angelicum statum sua malitia prodegit, perdidit et prodidit. Ex choris enim angelorum, ac ex caelo Lucifer proditor sua perfidia secum in tartara detraxit tertium partem stellarum, *Apoc. xii. 4*. Caelum ergo et caelites prodidit gehennae et tartaro.

Alludit Christus ad casum Luciferi, qui electus a Deo in principem angelorum, sua superbia se fecit diabolum et principem daemonum. Simili enim modo Judas electus a Christo ad angelicum Apostolorum officium, inde sua culpa propterea se fecit diaboli socium et diabolum, ut discamus cum timore et tremore operari salutem nostram, ac licet sanctissimo consistamus loco, timere lapsum. Quo enim altior est locus, eo grandior est casus et profundior ruina.

Perperam ergo nonnulli diaboli nomen hic in bonam partem accipiunt, uti faciunt apud Italos et Belgas nonnulli. qui hominem sagacem,

scelerem, ingeniosum, vafrum, subtilem, vocant diabolum.

72. DICEBAT AUTEM JUDAS SIMONIS ISCARIOTEM: HIC ENIM ERAT TRADITURUS (SYRUS, *proditor*) EUM, CUI ESSET UNUS EX DUODECIM. — Praemunit Christus Apostolos, ut, cum postea visuri essent Jude proditorem, scient illum se praevидisse et praedixisse, ac proinde se non invito, sed certo consilio permissente, illum feri ad mortem sibi conciliandam, per quam humanum genus redimeretur.

Hic finit Joannes acta secundi anni predicationis Christi usque ad tertium, sive acta a secundo Paschale usque ad tertium; nam acta terti prosequitur capite sequenti. Nullo ergo acta secundi anni Christi praetermittit, eo quod illi fuse a ceteris tribus Evangelistis enarrata forent. Finit ergo secundum annum Christi in multiplicatione panum facta ab eodem in Paschale, cujus occasione Christus longam cum Judaeis habuit disputationem de pane spirituali et carne sua in Eucharistia manducanda. Vide Chronotaxia.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus a Galilaea ascendit Jerusalem ad festum Scaenopogon. *Secundo*, vers. 12, murmurantibus de se Judaeis respondit, se a Deo Patre doctum et missum, ejus ductu et instinctu curare agros, etiam sabbato. *Tercio*, vers. 32, Pharisei volentes eum occidere, mittunt satellites, qui eum comprehendant; sed hi avertit Christi predicatione attoniti, eo intacto redeunt dicentes Phariseis: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. *Denique*, vers. 50, Nicodemus Jesum defendens, a Phariseis arguitur quasi Galilaeus et Jesu favor.

1. Post haec autem ambulabat Jesus in Galilaeam, non enim volebat in Judaeam ambulare; quia quaerebant eum Judaei interficere. 2. Erat autem in proximo dies festus Judaeorum, Scaenopogonia. 3. Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quae facis. 4. Nemo quippe in oculo quid facit, et quaerit ipse in palam esse: si haec facis, manifesta te ipsum mundo. 5. Neque enim fratres ejus credebant in eum. 6. Dicit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum. 7. Non potest mundus odisse vos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera ejus mala sunt. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum; quia meum tempus nondum impletum est. 9. Haec cum dixisset, ipse mansit in Galilaea. 10. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto. 11. Judaei ergo quaerebant eum in die festo, et dicebant: Ubi est ille? 12. Et mirantur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judaeorum. 14. Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat. 15. Et mirabantur Judaei, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? 16. Respondit eis Jesus, et dixit: Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego meipso loquar. 18. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit; qui autem quaerit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est, et in justitia in illo non est. 19. Nomen Moyses dedit vobis legem; et nemo ex vobis facit legem? 20. Quid me quaeritis interficere? Respondit turba, et dixit: Daemonium habes; quis te quaerit interficere? 21. Respondit Jesus, et dixit eis: Unum opus feci, et omnes mirantur. 22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex patribus); et in sabbato circumciditis hominem. 23. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi; mihi indignum quia totum hominem sanum feci in sabbato? 24. Nolite judicare secundum

QUERIT IPSE IN PALAM ESSE. — Græce *in naqnoqia* *esca*, id est: proprie, in libertate esse; sed quia hic opponitur occulto, hinc idem est quod palam, publice, clare, manifeste. Sic etiam hanc phraein usurpat Joannes cap. v, vers. 13, et cap. xvi, vers. 23, 29, et cap. xviii, vers. 20, et Marcus, cap. vii, vers. 32: ita ex Leontio Maldonatus, Franciscus Lucas et alii.

SI HOC FACIS, MANIFESTA TRIPSUM MUNDO. Tunc si hic non dubitantis est, sed asseverantis, ait Toletus, idemque valet quod cum, quia, quandoquidem, q. d. Cum tanta et tam mira facias in Galilea, ut oculis videmus et auribus audimus, fac eadem in Judea, ut ibi toti Israeli indeque toti mundo innotescas, quis sis, et quam a Deo dignitatem, potestatem et virtutem acceperis. Nam, ut ait Raphael, Tob. xii, 7: « Sacramentum regis abscondere, bonum est: opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est. » Prætextum laudem Christi et gloriam Dei sine cupiditate et ambitioni; cupiebant enim ut Christo per miracula et famam inflarescente, ipsi quoque quasi ejus cognati inclarescerent, et a populo honorarentur, ac muneribus afficerentur; insuper gratiam principum et pontificum inirent, a quibus ad magna reipublice officia vel beneficia promoveri sperabant. Sicut cum quis creatur Pontifex, Cardinalis, Episcopus, illic conflant ad eum cognati, ut per eum honores et operes consequantur. Omnes enim que sua sunt querunt, non que Jesu Christi.

5. NEQUE ENIM FRATRES EJUS CREDEBANT IN EUM. — q. d. Fratres ejus tam libere, confidenter et audacter admonuerunt Jesum, ut secum iret in Jerusalem, quia non plane et certo credebant ipsum esse Messiam, sive Christum; si enim id credidissent, ipsum reveriti, non ausi fuissent tam libere eum monere et quasi arguere. Ita Euthymius. Licet enim viderent eum tot signa et miracula facere, illaque vera esse non dubitarent; tamen dubitabant an ipse esset Messias et Dei Filius: licet enim hoc verum esse optarent, et ex parte ob tot ejus miracula crederent, tamen alia ex parte videntes ejus pauperitatem et neglectum, dubitabant. Ut ergo certi hac de re fiant, hortantur Christum ire secum in Jerusalem, ut ibi Scribæ et pontifices eum ejusque opera examinent, ac declarent ipsum esse Christum, ut sic ipse honoretur et celebraretur, atque illi quasi cognati, per ipsum.

6. DIXIT EIS JESUS: TEMPUS MEUM NONDUM ADVENTUM: TEMPUS AUTEM TESTRUM SEMPER EST PARATUM. — id est commodum et opportunum. « Tempus meum, » scilicet ascendendi in Jerusalem ad festum Scenopegie, « nondum advenit, » quia illud habeo statum et debitum a Patre, sed ad paucos dies illatum ob odium Judeorum, quod me prosequuntur: qua de causa ego brevi eodem ascendam, sed clandestinam, non autem publice vobiscum: ite ergo vos et præcedite, quia omne tempus vobis est « paratum, » id est congruum

et idoneum; ego deinde vos occulte sequar. Ita Jansenius, Franciscus Lucas et alii.

Aliter S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Leontius et ex his Maldonatus; q. d. « Tempus meum, » scilicet moriendi in Jerusalem, « nondum advenit: » mortem enim mihi parat Scribæ et principes Hierosolymæ; sed hoc quod non advenerat; sed advenit patio post, cum Christus eo ascendit, ut mox pateat. Prior ergo sensus est genuinus.

7. NON POTEST HUNDUS OPISSE VOS: ME AUTEM ODI, QUIA EGO TESTIMONIUM PEREBERO DE ILLO QUOD OPERA EJUS MALA SUNT. — Dat causam cur tempus ascendendi in Jerusalem fratribus, id est cognatis suis, semper sit paratum et opportunum, sibi vero non: quia scilicet illos non oderat mundus, id est mundani Scribæ et principes, ut ipse nihil ab eis passi; sed odervant Jesum, ut ipse suorum scelerum reprehensorem et castigatorem: quare Jesu crucem et mortem parabant, non vero cognatis ejus, q. d. Vos omni hora ire potestis in Jerusalem sine periculo, quia Scribis non resistitis, nec contradicistis, sed eis favetis et obsequimini; ego vero, quia eorum vitia publice castigo, si publice vobiscum eam, in manifestum vite periculum me conficio. Ita S. Chrysostomus et Cyrillus, qui et causam addit: « Animus enim, inquit, voluptati deditus, graviter fert si a voluptate revocetur. » Nolebant enim Scribæ suas voluptates, luxurias, crapulas, injustitias, quas amabant, relinquere, ideoque Christum ab eis avocantem oderant, juxta illud de eis Sapientis oraculum: « Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improprietat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata discipline nostra, » Sap. ii, 12. Vide ibi dicta.

8. VOS ASCENDITE AD DIEM FESTUM HUNC; EGO AUTEM NON ASCENDO AD DIEM FESTUM ILLUM; QUIA MEUM TEMPUS NONDUM IMPLETUM EST. — « Vos, » qui periculum nullum timetis, ait Euthymius.

EGO AUTEM NON ASCENDO. — Græce *etna* *tridactilo*, id est *nondum ascendo*; et Arabicus, *nunc non ascendo*; q. d. Nunc vobiscum publice ascendere in Jerusalem nolo, sed exspecto ut tempus impleatur, quo subsidente indignatione Scribarum, qui me initio festi exspectant, ut occidant, post tres dies occulte et minore periculo ire vobis ascendam; nam paulo post eum ascendisse patet ex vers. 10. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Verisimile est Christum dixisse, ut veritatis noster interpret: « Ego non ascendo, » nam si dixisset: « Ego nondum ascendo, » institissent cognati. Nos ergo te exspectabimus, ut nobiscum ascendas. Sensus tamen Christi erat, q. d. « Non ascendo, » id est nondum ascendo: hoc enim significare intendebat, etsi id cognatis non exprimeret, ad redimendam eorum veritatem.

Secundo, S. Augustinus, Cyrillus et Eucherius

in questione in hunc Joannis locum, sic explicant, q. d.: « Non ascendo ad diem festum istum, » hoc est ad diem primum festi instantem, sed, ut dicitur vers. 14, « festo die mediante, » id est sub diem quartum festi. Verum verus est Christum decrevisse ascendere ad diem primum festi, ut ostendam vers. 14.

Aliter Maldonatus, q. d. Ego non ascendo, subaudi, sicut vos, o cognati mei, putatis et cupitis, scilicet ut purus homo, ac ut Hierosolymis a populo honorer et celebrer; sed tamen mox eo ascendam, ut Messias Dei Filius, ut populum viam salutis doceam, itaque Dei gloriam, non meam queram et propagem. Verum hoc videtur exactius.

9. HEC CUM DIXISSET, IPSE MANSIT IN GALILEA.

10. UT AUTEM ASCENDERENT FRATRES EJUS, TUNC ET IPSE ASCENDIT AD DIEM FESTUM, NON MANIFESTE, SED QUASI IN OCCULTO. — « Tunc, » post tres dies, sub medium festorum, vers. 14, cum furor Judeorum initio festi ipsum expectantium exardescens, jam sensim per tot dies defervesceret, ut notat Theophylactus et Euthymius, ac S. Augustinus. Verus videtur Christum paulo post cognatos ascendisse Hierosolymam, sed occulte, ita ut initio festi interfuerit, idque innuit hic Lucas, de quo plura vers. 14.

NON MANIFESTE, SED QUASI IN OCCULTO. — Unde videtur Christum non recto itinere per Samariam, sed transito Jordane per Perseam profectus juxta Jerichontem, dimissis populi turbis eum assecutibus, occulte cum paucis sibi charioribus perrexisse Hierosolymam. Id patet conferenti Math. xix, 1 et 2, cum Luc. ix, 51 et 53, et Marc. ix, 29, et cap. x, 2.

11. JUDEI ERGO QUEREBANT EUM IN DIE FESTO, ET DICERANT: UBI EST ILLE? — « Festo » Scenopegie, sive Tabernaculorum, de quo vers. 2, puta primis festi diebus querebant Jesum, ut caperent et occiderent. Nam, ut ait Chrysostomus: « In die festo semper ad eadem ferebantur, et festis cum diebus capere tentabant. » Et Euthymius: « Pulchra sane illorum opera in diebus festis, cum illos cædis facerent occasionem, » ut quibus debebant Christum querere ad fidem, ut in eum crederent, querant eundem ad necem. Sic et hodie nulli in festis, quibus Deo reconciliare se debent, isdem Deum maxime potando, sortando, rixando, iudendo et blasphemando offendunt: quare festum agunt non Deo, sed diabolo, qui proinde eis festa ignium pro meritis in gehenna rependit. Est hæc fraus et suggestio diaboli, ut festa profanet, ac cultum Deo in his delictum admittat eumque in se transcribat.

UBI EST ILLE, — agryta, impostor, populi seductor? « Ex nimio enim odio eum nominatim appellare non patiebantur, » ait S. Chrysostomus.

12. ET MURMUR MULTUM (ITA LEGENDUM CUM ROMANIS, NON MULTUS; ARABICUS, MURMURATIO MULTA; EUTHYMIUS, TURBATIO ET CONTRADICTIO MULTA) ERAT IN

TURBA DE EO. QUIDAM ENIM DICERANT: QUIA BONUS EST. ALII AUTEM DICERANT: NON, SED SEDUCTUR TURBAS, — ut se nove factionis auctorem faciat, et seditionem vel rebellionem concitet.

BONUS EST — vir, imo doctor et Propheta. Hæc enim erat vox et sententia eorum qui Jesum audierant docentem in Galilea, ac viderant panes multiplicatam, ægros sanantem, dæmones ejectionem, etc. Contraria vox et sententia erat Scribarum et principum, ac turbæ illos sequentis.

13. NEMO TAMEN PALAM LOQUEBATUR DE ILLO PROPTER METUM JUDEORUM, — puta Scribarum, Phariseorum et pontificum, quibus Jesus velut vitiorum censor erat invisus. Nos enim passim Joannes vocat Judæos, non Scribas, non sacerdotes, tum ut dignitati, officio et auctoritati eorum non deroget; tum quia, ut ait Cyrillus, « indignum judicavit homines adeo a pietate remotos, sacerdotes vel seniores appellare. » « Nemo, » intelligit, eorum qui pro Jesu stabant, ac dicebant: « Bonus est, » ait Euthymius. Arguit S. Augustinus: « Seductur turbas, inquit, clarior sonabant: Bonus est, pressius susurrabant. »

14. JAN AUTEM DIE FESTO MEDIANTE, ASCENDIT JESUS IN TEMPLUM, ET DOCEBAT. — Syrus et Arabicus, cur autem dimidiati essent dies festi, id est cum ageretur dies quartus vel quintus festi Tabernaculorum: hoc enim festum celebrabatur per octidies. Græce *τῆς ἡμέρας*, quærens, id est cum jam medietas esset festivitatis.

ASCENDIT JESUS IN TEMPLUM. — Censent S. Augustinus, Theophylactus, Euthymius et alii, Christum eodem die ingressum esse Jerusalem et templum, scilicet die quarto festi: veniens enim in urbem pietatis ergo solebat primo adire templum; quod Christi exemplum multi fideles sequuntur. Contrarium censet Toletus, Maldonatus et alii, scilicet Christum paulo post cognatos ascendisse in urbem, ita ut interfuerit initio festi, sed non ascenderit in templum nisi die quarto festi. Id enim plane videtur exigere narratio Joannis hoc versu collata cum vers. 10, et quia Jesus quasi religionis doctor et exen. lar, ad aliorum adificationem voluit totam hanc festivitatem celebrare. Hoc enim lege sanctum erat, Levit. xxiii, 42: « Habitabit, inquit, in umbraculis septem diebus; omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis. » Adde: quisque sibi hæc tabernacula ante diem primum festi, vel in urbe, vel extra urbem extruere debebat: quare idem fecisse Jesum est probabile, nisi dicas eum in tabernaculo amici vel discipuli alicujus jam parato exceptum fuisse. Denique occulte hoc modo ad diem primum festi ascendens, nullum adhibet periculum, nisi adire templum: unde illud non adhuc nisi quarto die; primis enim tribus diebus delinuit in tabernaculo.

Primo ergo, Christus ascendit in urbem ante diem primum festi, deinde die quarto festi ascendit in templum: ille ascensus occultus fuit,

Tabernacula cuiusque Judeorum extrema erant in festo Scenopegie.

Græce δὲ τὸτο, id est propter hoc. Obscura est hoc loco hæc particula, et dubium quo referatur. Primo, Theophylactus et Maldonatus referunt ad vers. præced. sique nec int: « Omnes miramini propter hoc, » scilicet opus sanationis quod feci in sabbato. Sed repugnat dispositio codicum Græcorum et Latinorum, qui ὅτι propterea ponunt vers. 22 sequenti, nectuntque cum τὸ Moses dedit (1).

Secundo, Euthymius et Jansenius censent ὅτι propterea hic non esse causale, sed illativum, q. d. Itaque, ut non miremini, sed sciatis me recte facisse curando ægrum in sabbato, advertite quod subjungo de circumcisione, quæ fit in sabbato. Simili modo sumitur subinde ὅτι propterea in Prophetis, ut Jerem. xxx, 10. Et sic ὅτι propterea reipsa est quoque causalis; nam innuit causam ejus, cuius est illativum.

Tertio, S. Cyrillus, Toletus et Franciscus Lucas ὅτι propterea referunt ad id quod sequitur: sed ex patribus, sique verba ordinant, q. d. Atqui Moses dedit vobis circumcisionem, non propterea quod illa ex Mose sit, sed propterea quod sit ex patribus: voluit enim Moses præcepta et traditiones patrum studiosè conservare, uti par erat; et tamen in sabbato ab eodem Mose sancitò, circumcidit hominem.

Quarto, proprie et plenissime, ὅτι propterea est causale, et idem quod propter hanc causam, q. d. Propterea, vel, ut Græce est, propter hoc, id est propter admirationem vestram; quia scilicet vos opus curationis meæ in sabbato ita admiramini et indignamini: ut scilicet eam vobis eximam, et vos mirari cœsinatis, subjungo argumentum ad id validum, petiit ex circumcisione, quam vos ipsi facitis in sabbato ex decreto Moysi.

NON QUIA EX MOYSE EST, SED EX PATRIBUS. — q. d. Non quod Moyses sit circumcisionis institutor, sed patriarcha Abraham, qui illam a Deo acceptam tradidit Isaac, Jacob, Joseph, ac hi posteris suis et Mosi, uti ipse narrat, Genes. xvii. Ad id hoc, ut doceat Judæos non adeo uni debere incumbere Mosi, ut ejus unius præcepta de sabbato servent, ceterorum vero priorum et antiquiorum negligant; quin potius si illa Mosi decretis adverserint, illis velut antiquiora præponi debeant, ita ut lex Moysi eis locum cedat. Sic enim lex circumcisionis data Abraham, elicbat legem sabbati datam Mosi, ut si quis natus esset in sabbato, deberet præcise octavo die, id est sabbato sequenti, circumcidi, nec posset differri circumcisionem in posterum diem. Si lex Moysi cedere debet legi Abraham, ergo multo magis eadem cedere debet legi Christi et Dei, quæ jubet ut ægro valde afflicto prociis si possis, etiam in sab-

(1) Hanc tamen Theophylacti interpunctionem secuti sunt, tum veterum multi, tum recentiorum interpretum plurimi; et ea admissa nexus existit orationis occurrat, et luculentior sensus.

bato, præsertim si id breviter et verbo facere possis, uti faciebat Christus.

ET IN SABBATO CIRCUMCIDITIS HOMINEM. — « Et, » id est idcirco, q. d. Quia lex circumcisionis fuit anterior, dataque a Deo Abraham, primo Hebræorum patri et Patriarchæ, hinc prævalet sabbato, quod posterius a Mose jussu Dei institutum est: idcirco si octava a natalitate pueri dies sit sabbatum, illo opere, magno apparatu et molimine circumciditis puerum, ut servetur lex Dei data Abraham: « Octavo die circumcidetur infantulus, » Genes. xvii et Levit. xii, 3.

23. SI CIRCUMCISIONEM ACCIPIT HOMO IN SABBATO, UT NON SOLVATUR LEX MOYSI, MIHI INIGNAMINI QUIA TOTUM HOMINEM SANUM FECI IN SABBATO? — q. d. Si circumcisio, quæ ex genere suo videtur esse opus servile, operosum et prolixum, æque ac molestum et afflictivum, vulnerat enim et mutilat infantem, licita est tamen, imo præcepta in sabbato; cur mihi pariter non liceat in sabbato hominem per 38 annos paralyticum, toto corpore ægrum et afflictum, morbo et afflictione tanta liberare, ac verbo sanitati restituere, idque ad Dei unius laudem et gloriam? Lex enim elemosynæ et beneficentiæ est juris nature, cui omne jus humanum et divinum, quale est sabbatum, cedere debet.

Nota ὅτι « totum hominem. » Nam, ut notat Euthymius, « cum totum ejus corpus paralyti dissolutum esset, totum reddidit sanum. » Apposite Christus suam curationem comparat circumcisioni, quia sicut per hæc resecuit pars superflua præputii, sic per illam resecta fuit paralysis ægri, grassans per totum ejus corpus; sed circumcisio fiebat cum dolore et vulnere, curatio Christi cum voluptate et sanitate integra; nam totum hominem, hoc est, corpus integrum et animam, sanavit. Quare videtur Christus quoque ab anima hujus ægri circumcidisse vitia et peccata, eumque justificasse et sanctificasse, æque ac alios a se sanatos, uti aibi dixi, petinde ac circumcisio circumcidendo carnem circumcidebat et animam; ab illaque roseabat peccatum originale, illique indebat Dei gratiam et justitiam.

24. NOLITE JUDICARE SECUNDUM FACIEM (Græce ἀπὸ ὄψεως, id est secundum visum, aspectum, speciem; Syrus, per acceptionem vultus, id est personam), SED JUSTUM JUDICIUM JUDICATE. — Taxat Judæos de vitio acceptionis personarum, quod in eadem vel simili re Mosem, vel potius seipsum absolvant, Jesum vero accusent et damnant, q. d. Vos judicatis secundum apparentiam et acceptionem personarum, ideoque inique et perverse, quia me accusatis quasi violatorem sabbati; quod ægrum solo jussu potentis et divini duntaxat sanavit in sabbato; cum vos ex lege Moysi censens licere sabbato circumcidere et vulnerare parvulum, ac circumcisi vultus adultis emplastris sanare, sanguinemque resin-

guere, quod opus longe operosius, molestius et horribilius est. Causa est, quod non judicatis secundum rei operisque veritatem, sed secundum personarum dignitatem: me enim quasi vilem, pauperem et exorum contemnitis et abjecitis; vos vero cum Mose quasi principes et doctores exaltatis et laudatis. Nam revera, si secundum opus judicaretis, deberetis me cum Mose et vobis absolvere; aut si me damnatis, etiam Mosem et vos ipsos damnare: ego enim totum hominem sanavi sabbato, vos vero cum Mose in eodem parvulum circumcidendo, primo vulneratis, deinde sanatis; ac finis et scopus mihi tam plus est, quam Mosi et vobis, imo magis, quia non nisi ad Dei gloriam id feci, ut ostenderem me esse Messiam, ad salutem hominum a Deo missum: quare opus meum curationis fuit magis plium et divinum, quam sit opus vestrum circumcisionis. Ita S. Augustinus, Leontius, Cyrillus et Chrysostomus. Multi putant Christum hic conferre se cum Mose, illique se anteferre; sed aptius dicas Christum hic non cum Mose, sed cum Judæis, qui juxta legem Moysi circumcidebant in sabbato, se comparare. Nam Moses expresse nusquam jussit circumcidi hominem in sabbato, sed Scribæ ex eo quod Moses jusserat circumcidi infantem octavo die, inferebant: Ergo, si dies octavus sit sabbatum, illo circumcidendus est, non die sequenti.

25. DICEBANT ERGO (qui scilicet convicti erant nec Christi argumento) QUIDAM EX HIROSOLYMIS. — Arabice et Syrus, homines aliqui ex Jerusalem: in hac enim urbe, utpote metropoli Judææ, in qua sola erat templum Dei, crebro docebat Christus, multaque signa edebat, ob quæ Hierosolymite multi in eum erant propensi; sed ob metum principum, id palam ostendere non audebant, ait Cyrillus qui et causam adjicit: « Recte docentium quippe sermo tanquam ostium et porta quedam est ad Dei cognitionem et ad omnem virtutem. »

NONNE HIC EST QUEM QUERUNT INTERFICERE? — « Hi noverant, ait S. Augustinus, qua servitia Jesus quereretur. » Falso ergo et fraudulenter illi dixerunt vers. 20: « Quis te querit interficere? »

26. ET ECCE PALAM LOQUITUR, ET NIHIL EI DICUNT (Nomen, « quid sibi hoc tantum omnium silentium. »). NUMQUID VERE COGNOVERUNT PRINCIPES (Syrus, seniores populi) QUIA HIC EST CHRISTUS? — Idipsum sane cognoscebant, vel facile cognoscere poterant et debebant; sed superbia et odio excecata, noluerunt enim ut Christum admittere, sed ad necem persecuti sunt. Non ergo ex amore Jesu, ut putabant hi Hierosolymite, illi pepercunt; sed quia Jesus divina sua virtute cohibebat eorum mentem et manum, ne in se insilirent, quod Hierosolymite ignorabant.

27. SED HUNC SCIENS UNDE SIT: CHRISTUS AUTEM CUM VENERIT, NEMO SCIT UNDE SIT. — q. d. Novi-

mus Jesu parentes esse Joseph et Mariam, cap. vi, 42, at Christus « cum venerit, nemo scit, » id est sciet, « unde, » id est quibus parentibus: et ortus: nam aliqui in genere Christum ex Bethlehem et semine David nasciturum confitentur ipsismet, vers. 42. Nota, hæc esse verba vulgi imperiti, quod putabat, quando Christus veniret, neminem cogniturum ejus parentes proximos, sed eum repente ignotis progenitoribus mundo apparitum. Quare natum in Bethlehem ibidem occulte latitatum, vel transferendum in longinquis regiones, ibique alendum usque ad virilem ætatem, ac tum ex improviso in Judæa apparitum. Alii alias de Christo fabellas confinxerunt. Ad quas inducti fuere primo, verbis Isaie, cap. lvi, vers. 8: « Generationem ejus quis enarrabit; » secundo, ex Melchisedech, qui dicitur fuisse ἀντίχριστος καὶ ἀποκρίτης, id est carnis patre et matre, Ubr. cap. vii, vers. 3; hic enim fuit typus Christi; et tertio, ex Illo Michææ, v, 2: « Egressus ejus a diebus æternitatis; » et ex illo Davidis: « Ex utero ante Luciferum genui te. » Quæ omnino intelligenda sunt, non de humana, sed de divina Christi natura, quam Judei in Christo negabant; putabant enim ipsum meum fore hominem: quare censent eum ab æterno fuisse in Bethlehem genitum, inde fuisse occultatum, donec suo tempore Judæis expectantibus sese conspicuum exhiberet: quo de causa Christus in seq. ad hominem respondit, docetque suam originem humanam ab eis sciri, sed non divinam, uti Prophetæ prædixerant. Ita Toletus, Jansenius, Franciscus Lucas et alii.

28. CLAMABAT ERGO JESUS IN TEMPIO Dicens, ET DICENS: ET ME SCITIS, ET UNDE SUI SCITIS: ET A ME IPSO NON VENI, SED EST VERUS, QUI MISIT ME, QUEM VOS NESCITIS. — Est concessio. Loquitur enim Christus concedendo dandoque Judæis id quod dixerant: « Hunc scimus unde scit, » q. d. Concedo et do vobis quod dicitis, vos nosse meam prosapiam et parentes, etsi in rei veritate fallamini, nec eos nocetis: nam Judæi non noverant Christi civitatem, ignorabant etiam Christi generationem humanam, quia putabant eum esse filium Joseph. Aliter S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et Maldonatus; q. d. « Me scitis, » id est me scire et nosse potestis ac debetis, scilicet me esse Messiam Dei Filium. Id enim vobis ex Prophetis probavi, et per miracula mea confirmavi (1).

CLAMABAT, — tum ut ostendat se nosse tacitas Hierosolymitanorum susurraciones, dicentium: « Hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. » Quæ secreta loquebantur

(1) Multi hunc vers. 28 sic interpretantur: Vos dicitis, et me et patrem meum vobis notum esse; utrumque falso: Pater meus non est faber, ut vos putatis, sed Deus, cuius ego filius, legatus et interpres sum. Videtur tamen potius esse verba concedentis, q. d. Concedo vos nosse, me scilicet et natalitia mea; verumtamen veram meam originem, me de celo descendisse asscitis.

tur, ait Chrysostomus, in medium adducit, aperte eos confundens, tum ut suo clamore praedicationis suae, quae erat de re maximi momenti, attentionem conciliat et pondus addat.

A ME IPSE NON VENI, — sed missus a Patre; unde subdit: «sed est verus,» id est verax et fidelis Deus Pater, qui promissa sua Abraham et Davidi facta, de millendo Messia ad hominum salutem, in me veraciter et fideliter adimplevit: «quem vos nescitis» esse meum Patrem; ac me misisse, ut sequitur, ad mundi redemptionem. Aut «nescitis,» hoc est, ei non obediatis, cum non amatis, nec colitis, perinde ac si cum nescitis et non cognosceretis. Ita Theophylactus.

29. EGO (SYRUS, EGO VERO) SCIO EUM: QUIA AB IPSE SUM, ET IPSE ME MISIT. — Ab ipso sum, » natus, ait S. Augustinus, per divinam et aeternam generationem, utpote ejus filius proprius et naturalis; «et ipse me misit» in mundum per incarnationem. «Vide, ait Theophylactus, duas hoc loco in Christo naturas manifestari: per hoc enim quod ait: Ab ipso sum, substantia divina declaratur; cum vero ait: Et ille me misit, humana.»

Confutatur ergo hic Christus Hierosolymitas, excusantes quod in ipsum non crederent, eo quod nosset ejus parentes, cum Christi parentes nemo sit cogniturus. Ostendit enim eos nec generationem suam divinam et Patrem aeternum, nec humanam nosse, quod videlicet non ex Joseph, sed ex Spiritu Sancto in Virgine sit formatus et incarnatus. Quare hoc non obstat, quo minus in eum ut Messiam, cujus ignota sit prosapia, credere debeant.

30. QUEREBANT ERGO EUM APPREHENDERE: ET NEMO MISIT IN ILLUM MANUS; QUIA NEQUEM VENERAT HORA EJUS. — «Querebant,» quina? interrogat Chrysostomus, ac respondet: «Non multitudo, quae non affectabat principatum, neque capiebat invidia, sed sacerdotes.» Hi enim invadebant Jesu, quod a populo sibi praeferebant, habereturque Messias: quare eum e medio tollere cogitabant.

QUIA NONDUM VENERAT HORA EJUS, — «quo teneri ac pati deceverat, ait Theophylactus; quando enim temporem existim. ut quod paleretur, tunc et crucifixoribus se permisit. Unde nomen horae ostendit evidentem prudentiam et sapientiam Salvatoris:» quod scilicet non nisi hora, id est tempore opportuno et commodo a se destinato, pati morique voluerit. Passio enim haec Christo fuit voluntaria et libera, non invita vel coacta, idque significat «hora ejus, id est ab eo electa et morti suae destinata. «Hora» vocatur tempus rei convenientis et congruum, ait Cyrillus, qui in exemplari Romano manuscriptorum fuisse hic agit contra Elumicos illos qui censent horas alias esse faustas hominibus, alias infastas. Docet enim horas, » neque ac homines, a Deo creatas, illius providentiae subijci et ab ea gubernari.

Hic inciditur et sistit Commentarius eruditus

S. Cyrilli in Joannem, in fine libri quarti ejusdem: nam quatuor libri sequentes, scilicet quintus, sextus, septimus et octavus, injuria temporum intercederunt: quare supplavit eos Iudeus Clitovanus nuper Doctor Parisiensis. Ego vero germanos Cyrilli libros duos sequentes, scilicet quintum et sextum manuscriptorum Romae invenit: quare illos deinceps citabo, ut dixi in proemio.

31. DE TURBA AUTEM MULTI CREDIDERUNT IN EUM, ET DICEBANT: CHRISTUS, CUM VENERIT, NUMQUID PLURA SIGNA FACIET, QUAM QUA NUNC FACIT? — «De turba,» quia populus erat simplicior, candidior, humilior et avidior salutis suae, quam sacerdotes et principes, qui auctaritati suae et lucris metuentes, oderant Jesum, qui a populo summus habebatur doctor et Propheta, imo Messias: quare Scribae et sacerdotes praeter Christum parvi fiebant et negligebantur a populo, quod eos valde pungebat, et in Christi odium incitabat.

CHRISTUS CUM VENERIT. — q. d. Si adhuc Christus venturus esset, numquid plura miracula esset facturus quam Jesus faciat? utique non: cur ergo eum praesentem non accipiamus pro Christo? cum illum incertum expectemus? Prudentes enim est acceptare certum pro incerto, ac praesens pro futuro. Videbat enim turba, et audivat plurima a Christo patrata esse miracula, quae subiecto Joannes, quia ab aliis tribus Evangelistis fuisse jam narrata fuerunt. Ita Chrysostomus et Cyrillus, quem ex Romano codice manuscriptorum audi: «Turba in duocens conjecturis optime se gerebat, gestarum rerum praestantia, suis quasi pedibus ad debitam credulitatem deducta, solum principum doctrinam circa Christum expectans.» Et inferius: «Sed caput evasit in caudam, ut scriptum est. Nam qui praest, subsentitur, et cum Phariseorum improbitate consentiens, in Christum effrenatus impetum facit.»

32. AUDIERUNT PHARISEI TURBAM MORMURANTEM DE ILLO IHEC: ET MISERUNT PRINCIPES ET PHARISEI MINISTROS, UT APPREHENDERENT EUM. — «tanquam populum commoventem ad seditionem,» ait Euthymius; sed revera ex invidia, qua Jesu invadebant sequelam et plausum populi.

PHARISEI, — Graeca et Syrus addunt: et principes sacerdotum. Pharisei enim erant et concilio et magistratu, illique apud pontifices Jesum accusarunt, eosque in suam sententiam occidendi Jesum pertraxerunt.

33. DIXIT ERGO EIS JESUS: ADHUC MODICUM TEMPUS VOBISCU M SUM: ET VADO AD SUM QUI ME MISIT. — «Dixit eis,» scilicet ministris principum missis ad se comprehendendum, aut eos alliceret, ait Chrysostomus, ostendens se adventus eorum causam intelligere: » utique illi ad dominos suos haec referrent. «Adhuc modicum tempus, q. d. Non diu vestris heris molestus ero, quia molestus mihi sunt cum homicidis more, aut fugam ab impiis,» ait Cyrillus. Ergo adhuc sex menses apud vos vivam, praedicabo et docebo, scilicet a festo

Tabernaculorum, quod celebrabatur in septembri, usque ad Pascha, tunc enim mihi erit hora et tempus moriendi pro salute mundi, a Patre decretum. Quare frustra conamini nunc me capere et occidere; nil enim efficere poteritis Deo invito: ergo frustra laboratis et contra stimulum calcitratis. Ostendit hic Christus suam magnanimitatem, aequae ac providentiae et potentiae divinae, qua principum contra se molimina deridet, et velut telas araneorum diffilat.

VADO, — id est brevi vadam per mortem ad Patrem, qui me misit. «Dicens vado, ait ex Chrysostomo Theophylactus, » significat mortem suam, » camque voluntariam; quare in vanum principes conari illi vim inferre, eumque violenter capere. Nam «vado» idem est quod sponte ibo, meque vobis ad vincula, verbera et mortem offeram.

AD EUM QUI MISIT ME. — Haec particula significat Christum primo, se libenter abiturum ad mortem, utpote per eam iterum ad Patrem; secundo, persecutiones principum nihil illi nocituras, sed profuturas, quia e terra cum transmittant in caelum: ita Chrysostomus et Euthymius; tertio, principes terret, quod iterum ad Patrem, illorum contra se odia sit Patri relaturus et vindictam postulaturus. Ita quoque Chrysostomus et Cyrillus in manuscriptum, quem audi: «Frustra in me impietatis gladium excacuitis, cohibete invictitiam telum quod ad nihilum recidet, morti vitam non subijcietis, etc.; resurgam ad eum, qui misit me, ascendam in caelum, vestrae nequitiae accusationem apud angelos et homines praeme ferens. W enim redemptem admirabuntur, illi procedentes obviam interrogabunt: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Ego vero respondebo: His plagatus sum in domo dilecti mei,» Zachar. xiii, 6.

34. QUERETIS ME, ET (ID EST SED) NON INVENIETIS: ET UBI EGO SUM, VOS NON POTESTIS VENTRE. — «Queritis me,» id est queretis alium Messiam, quem loco Christi habeatis, sed non invenietis, quia nullus alius est Christus, nisi ego, ita Toletus. Sed hoc obscurius est et remotius (1). Planius ergo et simplicius, q. d. Quando post mortem audietis me resurrexisse, ac per discipulos patrare miracula, queretis me ut iterum capiat et occidatis, ut scilicet plane meum nomen, famam, religionem extirpetis et aboleatis: sed

(1) Magis tamen ad Toleti sensum delabor, quem Lampius in h. l. sic evoluit: «Queritis Dominum intelligenda est, non quasi Jesum pro auxilium suo actu post excidium accipere Iudaei desideraverint, ut Chrysostomus et Theophylactus; aut quasi per miracula ab Apostolis edita ad penitentiam ducti fuerint, ut Augustinus et Beda; aut quasi indicaretur, Iudeos Jesum etiam post resurrectionem ad perendum frustra quaesituros, ut Rupertus opinatur: sed quia suo modo, secundum sacros conceptus, quaesituri erant Messiam, quod implicite idem erat ac querere Jesum, quia extra illum alio Messias non erat expectandus.»

non invenietis, quia ego redivivus e terra in caelum gloriose ascendam; ac licet Apostolos meos nectis, alios tamen substitutum, qui vobis invitis meam doctrinam et Ecclesiam propagent per universum mundum, ita Rupertus.

Tertio, Iansenius et alii, q. d. Post mortem meam et ascensum in caelum, praedicante Petro et Apostolis in Pentecoste, multi ex vobis, quod me tot honorum datorem sperverint, poenitentes et compuncti, ad me convertentur, tuncque quaerent et desiderabunt me videre et audire, quem jam presentem spernunt; sed non invenient, quia in caelum ascendam. Sic et Cyrillus, qui et moraliter docet bonum, cum praesens est, amplectendum esse, ne, si elabatur, frustra illud requiramus. Nam «fronte capillata est, a tergo occasio calva,» ut apprehendi nequeat.

Tropologica: mirare et invidere Christi hic in respondendo equanimitatem, aequae ac constantiam. «Oporet enim, ait S. Cyrillus, mentem Deo addictam omnes irae et passionum velut undarum impetus vitare, et mansuetum cogitationibus, velut serenis zephyris delectari. Plurimum autem sage, ut cum longanimitate veseris, et videaris omnibus patienter adversa tolerare, ac mentem quidem prosum benignam habere, verba vero vel ad inimicos non indecora facias.»

35. DIXERUNT ERGO JUDEI AD SEMITIPIS: QUO HIC ITURUS EST, QUIA NON INVENIEMUS EUM? NUMQUID IN DISPERSIONEM GENTIUM ITURUS EST, ET DOCTRUS GENTES?

36. QUIS EST HIC SERMO, QUEM DIXIT: QUERETIS ME, ET NON INVENIETIS: ET UBI SUM EGO, VOS NON POTESTIS VENTRE? — «In dispersionem Gentium;» Syrus, ad regiones populorum, hoc est ad gentes et populos toto orbe dispersos; inde epistolae, quas ad eos scripsit S. Petrus, Jacobus, Joannes et Judas, dicte sunt Catholicae, id est universales et encyclicae, id est circulares, quia scriptae ad fideles per totum orbem sparsos. Iudaei vero Gentiles suggillando vocabant dispersos, quasi toto orbe vagos, ait Chrysostomus, cum ipsi in Judaea collecti et adunati viverent; rursus, quasi varios errores, superstitiones et cultus dispersos, cum ipsi in unius veri Dei orthodoxa fide et religione adunati conspirarent, ac unanimes soli Deo servirent.

Judaei hic mentem Christi non assequuntur, quia in caelum ipsum iterum non credebant: verum tamen dicunt; nam Iudaei fidem Christi repellentibus, Apostoli eam jussu Christi traxerunt ad Gentes, ut Iudaei exprobrat Paulus, Act. xiii, 46.

37. IN NOVISSIMO AUTEM DIE MAGNO FESTIVITATIS, STABAT JESUS, ET CLAMABAT, DICENS: SI QUIS SITIT, VENIAT AD ME, ET BEAT. — «In novissimo,» Syrus, in die octavae magno, quae erat ultimus festi, puta in Octava festi Tabernaculorum: hoc enim festum celebrabatur per octo dies, ac dies octa-

vus tam magnus et ceteris erat, quam primus aquae vocabatur dies coetus sive collectae, quo scilicet totus populus collectus templum adibat, gratias agens Deo eius se commendans, inde domum remeabat. Vide dicta *Levit. xxiii, 36*. Voluit ergo Christus ultimo hoc festi die, toti populo abeundi sui desiderium, ac de sua religione scrupulum, imo ingentem aculeum injicere. Idem faciat concionator, ut in fine concionis aculeum menti abeuntium infigat, qui deinde assidue eos pungat et stimulet ad vitam in melius commutandam. Ita Chrysostomus: « Quoniam domum erant abituri, inquit, praebet eis ad salutem viaticum. »

Symbolice: festum Scenoepie erat plenum voluptate et gaudio, ideoque erat typus resurrectionis et gaudii Beatorum, ad quod se ire paulo ante dixerat Christus, atque his se lumen eo dicens esse dixit. Ita Cyrillus.

Si quis sirit, — suam salutem, felicitatem, beatam aeternitatem: haec enim summe cuilibet sitienda et desideranda est, atque summum et ultimum hominis bonum, ipsaque beatitudo; hic « venit ad me, » id est in me credit, uti Christus explicat vers. seq., et bibit, » id est hausit a me Evangelicam doctrinam, gratiam et spiritum, ipsumque Spiritum Sanctum, cum omnibus suis donis et virtutibus, qui eum deducet ad gloriam caelestem, ubi omnis ejus sitis, omne desiderium, omnis cupido satisfabitur et explebitur. His ergo aquis ego potabo eum, satiabo et inebriabo. Alludit ad *Isaia. lv, 4*: « Omnes sitiētes, venite ad aquas, » etc. Vide ibi dicta (1).

38. QUI CREDIT IN ME (sicut oportet, scilicet fide charitate formata, sive qui credit, ut simul mihi meisque mandatis obediat), SICUT DICTA SCRIPTURA. — Haec verba Chrysostomus cum suis refert ad id quod praecessit: « Qui credit in me. » Omnes enim Prophetae de Christo prophetant, illicque credi et obediendi jubent. Melius alii passim referunt ad id quod sequitur: « Flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. » Sed ubi id dicit Scriptura? *Primo*, Rupertus et S. Thomas hic, ac S. Hieronymus, praefat. in *Gen.*, id scriptum putant, *Prover. v, 16*: « Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide, » juxta sensum mysticum: nam illius loci alius est sensus literalis, ut ibi dixi. *Secundo*, Franciscus Lucas id dictum putat *Isaia. lviii, 11*: « Et eris quasi hortus irri-

(1) Occasionem hae verba recitandi sumpsisse Christus videtur a ritu singulis hujus festi diebus recepto, secundum quem sacerdos aliquis cantharo aureo ex fonte Siloae, ad radices montis Sion scaturiente, extra Hierosolimam aquam hauriebat, eamque per aquarium Portam in Templum perferrebat, tandemque vino mixtam, foraminum magni altaris infundendo, bibabat; Inter quae *Hallel magnam* canebatur, hoc est *Psal. cxviii*. — *De Hunc ritum* exposuit Jac. Frey, in *Dissert. de origine Iherosolimitanae in festo Tabernaculorum*, conf. Lightfootum et Sepp, op. cui titulus in versione Gall.: *La Vie de M.-S. J.-C.*, t. 1, p. 497.

gus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquae. » *Tertio*, plenissime, alii censent id scriptum non in uno loco, sed in multis, idque omnino non quoad verba, sed quoad rem et sensum. Passim enim Prophetae praedictum uberitatem spiritus et donorum spiritualium, instar fluminum dandum a Christo, ut *Jod. ii, 28*: « Effundam, ait, spiritum meum (quasi flumen, imo flumina) super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri. » Et *Isaia. xli, 18*: « Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, et terram in rivum aquarum. » Et cap. *xlv, vers. 3*: « Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. » Similia sunt, cap. *lv, 1*, et *Ezech. xxxvi, 29*, et *Ezech. xiv, 40*: « Ego sapientia, inquit, effudi flumina: Ego qui trames aquae immense de fluvio, ego quasi fluvii diorix, et sicut aqueductus exivi de paradiso. » Et *Cant. iv, 15*: « Fons hortorum, ait, pulvis aquarum viventium, quae fluent impetu de Libano. »

FLUMINA DE VENTRE EJUS FLUENT AQVE VIVAE. — « Flumina, » ait, non flumina, inquit S. Ambrosius et Theophylactus, ut denotet maximam copiam et abundantiam, aequae ac vinum, efficaciam et impetum spiritualium gratiarum et operationum, puta flumina charitatis, flumina virginitatis et virginum, flumina martyrorum et Martyrum; flumina sapientiae, flumina eloquentiae Christianae. Ita S. Chrysostomus: « Flumina dicit, inquit, ut abundantiam et copiam gratiae significet. Sic et Rupertus, Theophylactus et alii, et S. Gregorius, homil. 10 in *Ezech.*: « Quia, inquit, de mente fidelium sanctae praedicationis defluunt, quasi de ventre credentium aquae vivae flumina decurrunt. Ventris autem viscera quid sunt aliud, nisi mentis interna, id est recta intentio, sanctum desiderium, humilis ad Deum, pia ad proximum voluntas? »

Rursum S. Chrysostomus: Considera « Petri linguam, et Pauli impetum, et Stephani sapientiam, quos dicentes nihil effugit, sed omnes sequuntur a fluminibus quibusdam impetu ruantibus rapti, » uti factum est in Pentecoste, cum Petrus flumina spiritus sui eructans, una concione tria, et altera quinque millia Judaeorum ad Christum convertit, *Act. ii*. Hinc S. Hieronymus, *epist. 61 ad Pamach.*: « Paulus, ait, vas electionis, tuba Evangelii, rugit ut leonis nostri, fluens eloquentiae Christianae, etc., quem quotiescumque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua. » Et S. Chrysostomus, homil. 4 *De Ludibus S. Pauli*: « Paulus, inquit, est oculum solum habens justitiae, ipse mare sapientiae purissimum et profundissimum. »

Nota: Christus est fons aquae vivae, id est gratiae vitalis et vivificae, juxta illud *Psal. cxviii, 1* « Quoniam apud te est fons vitae. » Ex hoc fo-

et bibamus, id est si Christo credamus et obediamus, fiet in nobis « fons aquae salientis in vitam aeternam, » ut Christus promisit Samaritanae, *v, 14*. Fons hic est Spiritus Sanctus sive ejus gratia abundans et copiosa: ab hoc fonte in anima habitante, plurima et perfectissima spiritualia zona et virtutes, quasi rivi et flumina multa in ipsam animam et corpus, ejusque potentias, actus et operationes, imo et ad proximos manant et profuunt. « Spiritus enim gratia, ait Chrysostomus, cum menti illapsa est, eamque irrigat, omni fonte uberius scaturit, nunquam deficit, nunquam vacuat, nunquam stat. Simul igitur et indeficientem copiam, incredibilem operationem, et fontem et fluvios appellavit. »

Rivulus Spiritus Sancti est fides, ait S. Gregorius, rivulus est spes, rivulus est caritas, etc. Ista id esse patet, quia sic explicat Joannes dum subdit: « Hoc autem dixit de Spiritu, quem accipitur erant credentes in eum. »

DE VENTRE EJUS. — Ventrem per catachresin vocat inferiora animae. « De ventre, » ergo, hoc est de corde et mente, quae quasi ventris est anima; Ita S. Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius. Audi S. Augustinus: Venter inferioris hominis est conscientia cordis, quae isto liquore purgata fontem habebit, et ipsa fons erit: est autem fons et fluvius manans, benevolentia, quae vult consulere proximo, et ideo non siccat, quae manat.

FLUENT, — copiose per actus virtutum, per gratiae effectus, per operationes et impulsus Spiritus Sancti, quibus non se tantum, sed et alios ducunt in caelum. Hujus enim fluminis spiritualis fons, id est scaturigo et origo est in caelo, quare vi sua eo resilit unde exiit, ac homines spiritaes eodem resiltu suo reducit, juxta illud cap. *iv, vers. 14*: « Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. »

AQUE VIVAE. — Refer cum Syro ad flumina, *q. d.* Flumina non aquae stantis et stagnantis, quae videtur mortua, sed fluentis et exilientis, quae videtur viva, fluent de ventre ejus. Fluent, inquam, « flumina, » id est abundantia aquae vivae, id est

primis, charitatis, ait S. Augustinus; secundo, laetitiae spiritalis, juxta illud *Psal. xlv*: « Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, » ait S. Basilius in *Psal. xlv*; tertio, doctrinae Evangelicae, ait S. Ambrosius; quarto, felicitatis et gloriae caelestis: hanc enim Joannes comparat fluvio aquae vivae splendidi tanquam crystallo, procedenti de sede Dei et Agni, *Apocal. xxi, 1*. Vide ibi dicta. Quinto, et plenissime, « aquae vivae, » id est omnis gratiae et gloriae, omnium charismatum et virtutum, omnium donorum Spiritus Sancti. Ita S. Chrysostomus, S. Cyrillus, Origenes, Leonius et alii, idque patet ex seq.

39. HOC AUTEM DIXIT DE SPIRITU, QUI CREDITUR ERANT CREDENTES IN EUM: NONDUM ENIM ERAT SPIRITUS DATUS, QUIA JESUS NONDUM ERAT GLORIFICATUS.

— « Accipitur » post mortem suam, merito ejusdem in Pentecoste: licet enim ante illam Apostoli alique Sancti recepissent Spiritum Sanctum, tamen non in illa fluviali copia et abundantia, quae in illos effusa fuit in Pentecoste: unde ipsi mox, quasi effluvia flumina universum mundum aridum, fluentis sive praedicationis et virtutis irrigarunt, bonis operibus fecundarunt, amore Dei inebriarunt, virtutibus omnibus inundarunt, per aquam vivam suae gratiae, vitae et doctrinae Christianae.

NONDUM ENIM ERAT SPIRITUS (sanctus, ut addunt Graeci) DATUS (in tanta copia et effusione, quanta in Pentecoste), QUIA JESUS NONDUM ERAT GLORIFICATUS. — Quia nondum a morte resurgens, et in caelum conscendens, sedebat in gloria ad dexteram Dei Patris; non enim dat causam cur dixerit accipitur in futuro, non accipitur in praeterito.

Queres, cur ante ascensionem Christi Spiritus Sanctus non fuit datus visibiliter et copiose, uti post eam in Pentecoste? Respondeo: *Primo*, S. Leo, serm. 2 *De Pentecoste*: Ut haec donatio et effusio Spiritus Sancti cognosceretur esse fructus passionis Christi, ejusque ascensionis sive triumphus. Solent enim reges, cum regnum ineunt, vel triumphum de victis hostibus agunt, aurum et argentum copiose in populum spargere, publicae laetitiae et gratulationis causa. Sic Christus regnum caeleste iniens, ibique triumphans, mox in Pentecoste in fideles suos copiam gratiarum effudit, juxta illud: « Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre, » effudit hunc quem vos vidistis et audistis, *Act. i, 33*. Vide ibi dicta. Unde verba S. Leo loco citato: « Domini ascensio, ait, dandi Spiritus fuit ratio, *q. d.* Ideo Christus ascendit in caelum, ut inde mitteret Spiritum Sanctum.

Secunda causa est, quod missio et effusio Spiritus Sancti in Pentecoste fuerit gloriose Christi: Spiritus Sanctus enim per tot tantaque dona gloriam Christi, a quo mittitur, mire illustravit; dum per illa, tam mira per Apostolos operatus est, imo totum orbem ad Christum convertit, ut fideles ubique terrarum Christum colant et adorent.

Tertio, quia discipuli ante ascensionem Christi non erant capaces tam spiritualis doni: nimis carnaliter enim sensiebant de Christo, cum eoque agebant, Ita S. Augustinus.

Quartam dat S. Augustinus, *tract. 32*: Noluit Dominus, inquit, dare Spiritum Sanctum nisi post resurrectionem, « ut in resurrectionem charitas nostra flagret, et ab amore saeculi separaretur, ut tota currat in eum. » Audi S. Cyrillum: « Tunc Christus renovatae naturae principium extitit, et inferius: In illa Propheta, ait, fuit *2*ves quidam splendor Sancti Spiritus, faxque prelucens, quae ad futurorum notitiam eos deduceret; at vero creditibus in Christum non

Car. Spt.
Hinc
Spiritus
datus
post ascen-
tionem
Christi.
Causa
Prima.

solum facula præluens Spiritus Sanctus, sed ipse inhabitavit Spiritus Sanctus quasi in templo suo. »

Tunc ergo flumina gratiarum in fideles non paucos, sed plurimos, e celo fluxerunt, imo pluerunt. Inde enim manarunt tot millia Martyrum, pro fide Christi equales, ignes, leones generose superantium; tot chori virginum pro virginitate Christi et sua usque ad mortem invictæ decertantium; tot examina monachorum et anachoretarum, qui in cœnobis et desertis, a mundo separati Deo vixerunt, quasi homines cœlestes, et angeli terrestres; tot ordines Pontificum et Præsulum, qui sanctissime Ecclesias sibi commissas gubernarunt, et ad omnem sanctitatem efformarunt; tot centurie Doctorum, Predicatorum, Confessorum, qui flumina sue doctrine et pietatis per doctrinam et concionem, perque librorum alumina quaquaversum sparserunt, totumq. artem Dei cognitione illustrarunt, ejusque amore succenderunt; de quibus proinde ait *Ecclesi. xxxix, 9*: « Ipse tanquam imbres mittit eloquia sapientiæ suæ; » tot denique myriades fidelium tam virorum quam mulierum, quæ sobrie, iuste et pie viventes in hoc sæculo, avidè expectantur et expectant adventum gloriæ æterni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. An non hec ingens est et perennis Christi glorificatio?

42. NONNE SCRIPTURA DICIT: QUIA EX SEMINE DAVID, ET DE BETHLEHEM CASTELLO, UBI ERAT DAVID, VENIT CHRISTUS? — *q. d.* De Bethlehem oppidulo Judæe, ubi natus et educatus est David, nascetur Christus quasi filius Davidis, uti prædixit Michæas v, 2. Ergo Jesus non est Christus, quia ipse est Galilæus, utpote conceptus, natus et educatus in Nazareth. Sed falluntur et errant; licet enim Christus conceptus et educatus esset in Nazareth, tamen natus erat in Bethlehem, ait Cyrillus, cumque ipsi toti portenta et tam evidentiæ signa Messie vidissent in Jesu, debebant de hoc uno, quod ipsi deesse putabant, cœtus inquirere, vel Jesum interrogare; quod si fecissent, intellexissent rei veritatem, nec patriam obstare Jesu, quominus ipse esset Christus, cognovissent: sed turbæ ex desidia, Scribæ ex invidia, id investigare neglexerunt, ideoque utriusque sunt inexcusabiles.

43. DISSENSIO ITAQUE FACTA EST IN TURBA PROPETIA EUM.

44. QUIDAM AUTEM EX IPSIS VOLEBANT APPREHENDERE EUM; SED NEMO MISIT SUPER EUM MANUS. — « Dissensio; » Grece, *schisma*, aliis Christum quasi novatorem accusantibus, aliis quasi Prophetam excusantibus et laudantibus, ac unaquæque parte pro sua opinione rixante, ait Euthymius.

IN TURBA, — « non in principibus: nam principes unius sententiæ fuerunt, ne susciperetur ipse ut Christus, » ait Theophylactus.

QUIDAM (presertim ministri et satellites ad eum capiendum a principibus missi) VOLEBANT APPRE-

HENDERE EUM (quasi auctorem schismatis, ne propter eum oriretur tumultus et seditio in populo); SED NEMO MISIT SUPER EUM MANUS. — Christus enim sua facultate et vultus majestate, sed multo magis sua occulta vi divina cohibuit eos, ne in se manus injicerent; necdum enim hora patendi ab eo electa advenerat. Ita Cyrillus.

45. VENERUNT ERGO MINISTRI AD PONTIFICES ET PHARISÆOS (quasi ad heroas a quibus missi erant), ET DIXERUNT EIS ILLI: QUARE NON APPREHENDIS ILLUM? — « Quod venerunt, ait S. Chrysostomus, longe majus fuit, quam si apud Christum remanissent; sic enim liberali fuissent eorum molestia: nunc præcones fiunt sapientiæ Christi, et majorem præ se ferunt nimium. »

ILLUM — novatorem, seductorem, falsum prophetam, ad quem capiendum vos misimus. Namine enim proprio Jesu, eum vocare designantur.

46. RESPONDERUNT MINISTRI: NUMQUAM SIC LOCUTUS EST HOMO, SICUT HIC HOMO. — Quia hic non est verus homo, ut ceteri, sed homo deus, quare loquitur et docet non humana, sed divina gratia, facultate, efficacia, majestate. Vide hic quanta fuerit vis dicendi in hoc sæculo, quanta auctoritas et dignitas, quæ ministros pontificum obstupescit, ut licet vellent eum capere, tamen non possent, imo eum amare, revereri et colere cogere, idque ingenue et libere coram heris suis principibus, etiam si Christo infensissimis, profiterentur! Atque ita « principum improbitatem coarguit, ait Cyrillus, ostendens quam imbecillæ et temeraria sit contra Deum pugna. » « Potissimum sane, ait Chrysostomus, se excusare propter turbam (dicendo: Non fuimus ausi capere Jesum, ne turbam in eum propensam ad seditionem contra nos concitarem), sed animi ostendunt rectitudinem, etc. Neque tam se illum admirari, quam qui se miserant ad eum ligandum, quem audire debuissent, accusare visi sunt, » *q. d.* Cur nos misistis ad eum tantumque veritatis doctorem capiendum? Ab eo enim vi sermonis capti sumus; et si vos ipsum audiretis, eadem curramini. Quare, ut ait Theophylactus, « non curarunt iram Pharisaeorum, neque quia ut servi missi fuerant, quæ placita erant principibus dixerunt, sed testabantur veritati. » Tanta est efficacia veritatis. Vere Sapiens: « Quis, inquit, cogitatus coget? Vis veritatis. »

Quare verisimile est multos ex his suavitatis et veracitate Christi allectos et delatatos, postea per Petrum et Apostolos in Pentecoste concionantes, perfecte ad Christum fuisse conversos: Deus enim hoc præmium dedisse videtur eorum testimonio de Christo, tam sincero, inquit, seducti erant, qui dimisso malo infidelitatis transierunt ad fidem. » Denique S. Cyrillus, in Manus., existimat ministros hos ita Christum extulisse supra omnes homines, ut crederent vel susciperent eum esse

Deum, *q. d.* Quomodo caperemus eum, qui tantum supra nos extollitur, quantum supra hominem Deus?

47. RESPONDERUNT ERGO PHARISÆI (hostes Christi implacabiles, ut ait Nonnus): NUMQUID ET VOS SEDUCTI ESTIS — ab hoc plano et impostore? Audi Chrysostomum: « Cum compungi et mutare sententiam oportuisset, accusant eos; mitius tamen, veriti ne tandem deficerent. Sed interrogandum fuerat, quid admiratione dignum Jesus loqueretur? id certe caverunt. » invidia in Jesum exacerbat et in odio ipsius obstinati. Urget S. Cyrillus et eos, *q. d.* Turbæ ab ipso seductæ parcat quod in eum credit; sed vos qui nostri estis ministri, et in eadem nobiscum incredulitate contabuitis, quomodo ab eo tam cito seduci potaistis, ut in eum creditis?

48. NUMQUID EX PRINCIPIBUS ALIQUIS CREDITIT IN EUM, AUT EX PHARISÆIS? — *q. d.* Principes et Pharisei, qui sunt prudentes et eruditi in lege, non credunt in Jesum; ergo ipse non est Christus. Est argumentum ab auctoritate, sed fallax et mendax; nam Principes hi et Pharisei erant jurati Jesu hostes, quia ipse vitia eorum taxabat. Falluntur tamen; nam nonnulli Principum privatim et occulte favebant Jesu, in eumque credebant, inter quos fuit Nicodemus, cap. iii, vers. 1. Sapienter S. Augustinus: Qui non noverant legem, inquit, credebant in eum, qui miserat legem; eum vero condemnabant, qui legem docebant, ut illud impleteretur: Ego veni ut non videntes videant, et videntes ceci fiant.

49. SED TURBA HEC, QUÆ NON NOVIT LEGEM, MALEDICTI SUNT. — Maledicta est; sed dicunt « maledicti » in plurali, quia in turba erant multi. Est syllepsis. Alludunt ad *Deut. xxvii, 26*: « Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit; » *q. d.* Maledictus a Deo est, qui a Mose et lege transit ad Jesum ejusque Evangelium, atque apostata. Hac voce maledictionis Pharisei ministros ceterosque perterrefacere conantur, et a fide amoreque Jesu abstrahere. Audi Theophylactum: « Maledictam turbam autem eo quod creditit, ipsi innumeris maledictis digni, utpote increduli et alius incredulitatis auctores. » Quocirca Rupertus hanc ipsorum maledictionem in ipsosmet retorquens: « Prefecto, inquit, turba illa verius contra dixisset: Istud vanitatis concilium et ecclesie malignantium, quæ non facit legem, maledicti sunt. » Nam, ut ait S. Cyrillus: « Sapientes dum se venditant, faui redduntur. Nam dum scire se legem profiterentur, semetipsos incredulitatis accusant, » æque ac ignorantie, quod Christum lege promissum et jam presentem non agnoscant, ideoque maledicendi et exterminandi a Deo, ut prædixit Moses, *Deut. xviii, 19*.

50. DIXIT NICODEMUS AD EOS, ILLE QUI VENIT AD NOS DOCTE, QUI UNUS ERAT EX IPSIS:

51. NUMQUID LEX NOSTRA JUDICAT HOBINEM, NISI

PRIUS AUDIERIT AD IPSO, ET COGNOVERIT QUID FACIAT? — « Lex nostra, » id est praxis legis nostræ, petita tum ex ipso lege, tum potius ex ipso jure naturæ et gentium: lex Mosaica enim licet, *Deut. xiii, 14*, jubeat examinari crimen rei, antequam damnetur; tamen expresse non jubet eum audiri, nec vetat inauditum condemnari, si testibus, vel aliis argumentis reus esse convincatur. Taxat Nicodemus collegas suos principes, quasi legis et juris naturæ violatores, sed facile et modestè, veritus eorum iras, unde suadet ut Jesum audiant et examinent. Nam, ut ait S. Augustinus: « Credebat (sperabat) quia si tantummodo eum vellent patienter audire, forte similes ferent illis (ministri) qui missi sunt tenere, et maluerunt credere. » Porro, Cyrillus asserit Nicodemum ex stimulo conscientie hæc dixisse: « Sed noxia adhuc verecundia laborans, inquit, nec zelo loquendi libertatem admiscens, non sinit inhaerentem in se fidem nudam conspici, sed obscuro quodam pallio, simulatione se obtogens, adhuc aliquo modo lætæ Christi defensor; cum deceat credentes aperire præ se ferre libertatem, ac sine metu et pudore clare fidem veram profiteri, » uti fecit Paulus dicens: « Non erubescio Evangelium; virtus enim Dei est in salutem omni credenti, » *Rom. i. Hæc Cyrillus*.

52. RESPONDERUNT, ET DIXERUNT ET: NUMQUID ET TU GALILÆUS ES? SCRUTARE SCRIPTURAS, ET VIDE QUIA A GALILÆA PROPHETA NON SURGIT. — « Galilæus; » Grece, *ex Galilæa*, *q. d.* Numquid tu, ob communem patriam cum Jesu Galilæo, ejus patronus es, fautor et defensor?

SCRUTARE SCRIPTURAS. — « Contumeliose, ait Chrysostomus, tanquam inscio Scripturæ respondent, *q. d.* Acquiesce nobis et disce. » Nam, ut ait Theophylactus: « Ignominia eum afflicentes quasi imperitum, dicunt: Scrutare, hoc est vade, disce, quia ad hoc usque tempus non didicisti, quia a Galilæa propheta non surgit. » Legit interpres cum Nonno et Arabico *ἐπιγράφει*, id est surgit, jam legit *ἐπιγράφει*, id est surrexit. Hoc Pharisaeorum axioma primo falsum est; Debora enim prophetissa fuit Galilæa, puta ex tribu Naphthali vel Zabulon, *Judic. iv, 4, 5, 6*. Sic et Anna prophetissa fuit Galilæa, utpote ex tribu Aser, *Lucæ ii, 36*. Sic Nahum propheta fuit Irsæus, id est oriundus ex Elcese, vico Galilææ, ait S. Hieronymus, proemio in *Nahum*. Similiter in Samaria, quæ erat vicina Galilææ, ac in toto regno Israel, eujus præcipua pars erat Galilæa, sub regibus idololatriæ multi fuerunt Prophætæ, qui eos de idololatria redarguerunt, uti Elias, Elisæus et filii Prophetarum, adeo ut Abdias, dispensator Achab regis, eorum ex eis abscederet in spelunca, ne a Jezabel, uxore Achab, interficerentur, *III Reg. xviii, 4*.

Secundo, temerarium est, quia, etiamsi ante id tempus nemo Propheta ex Galilæa ortus fuisset, jam tamen orti et nasci poterat: idem enim ob-

fieri potuisset Elias Thesbite: Ex Thesbi huc usque non surrexit Propheta; ergo Elias, natus in Thesbi, non est propheta; et cuius alteri propheta in sua gente primo.

Tertio, stultum est, quia Nicodemus non dixerat Jesum Galileum esse Prophetam, sed tantum esse audiendum, nec inauditum esse condemnandum. Ita invidia et odio execrati, actu furoribus abripuntur, ut multa contra iudicium rationis

perpetrent imprudenter, false, temerarie, stulte.

53. Et REVERSI SUNT INQUISIQUE IN DOMUM SUAM. Vers. 54. — « Timentes ne forte etiam quispiam alius similis Nicodemo diceret, » ait Euthymius; quare distulerunt suum de Jesu capiendum necando consilium, sed non revocarunt, nec mutarunt. Hanc dilationem fecit Deus per Nicodemi interlectionem, quia necdum venerat hora mortis Jesu ab ipso decreta.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Jesus adulteram a Scribis accusatam absolvit. Secundo, vers. 12, asserit se esse lucem mundi, ac Judæos nisi in se credant, in peccatis suis morituros. Tertio, vers. 25, ait se esse principium, ac credentes in se liberare a peccatis; Judæos vero incredulos esse peccatores. Quarto, vers. 34, ac natus ea patre diabolo, vers. 44. Quarto, vers. 49, Judæis sibi objiciunt quod habent demonium, et sit Samaritanus, respondet se demonium non habere, sed Patrem caelestem honorificare. Quinto, vers. 58, assererat se fuisse ante Abraham, ideoque Judæis eum lapidare volentibus esse abscondit.

1. Jesus autem perrexit in montem Oliveti; 2. et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos. 3. Adducunt autem Scribæ et Pharisei mulierem in adulterio deprehensam; et statuerunt eam in medio, 4. et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. 5. In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. 7. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. 8. Et iterum se inclinans scribebat, in terra. 9. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus: et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans. 10. Erigens autem se Jesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnavit? 11. Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo. Vade, et jam amplius noli peccare. 12. Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vite. 13. Dixerunt ergo ei Pharisei: Tu de teipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum. 14. Respondit Jesus, et dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum; quia scio unde veni, et quo vado: vos autem nescitis unde venio, aut quo vado. 15. Vos secundum carnem iudicatis; ego non iudico quemquam: 16. et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum; sed ego, et qui misit me, Pater. 17. Et in legi vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. 18. Ego sum, quia testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. 19. Dicebant ergo ei: Ubi est Pater tuus? Respondit Jesus: Neque me scitis, neque Patrem meum; si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. 20. Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo; et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus. 21. Dixit ergo iterum eis Jesus: Ego vado, et quaeritis me, et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. 22. Dicebant ergo Judæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire? 23. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. 24. Dixi ergo vobis,

quia moriemini in peccatis vestris: si enim non crederitis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. 25. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui et loquor vobis. 26. Multa habeo de vobis loqui et iudicare; sed qui me misit, verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. 27. Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum. 28. Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: 29. et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum; quia ego, quæ plerumque sunt ei, facio semper. 30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. 31. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis; 32. et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. 33. Responderunt ei: Semen Abraham sumus, et nemini servivimus unquam; quomodo tu dicis: Liberi eritis? 34. Respondit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. 35. Servus autem non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum: 36. si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. 37. Scio quia filii Abraham estis; sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. 38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor; et vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. 39. Responderunt, et dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus: Si filii Abraham estis, opera Abraham facite. 40. Nunc autem quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo: hoc Abraham non fecit. 41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati; unum patrem habemus Deum. 42. Dixit ergo eis Jesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me, ego enim ex Deo processi, et veni; neque enim a meipso veni, sed ille me misit. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. 44. Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit; quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus. 45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. 48. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et demonium habes? 49. Respondit Jesus: Ego demonium non habeo; sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. 50. Ego autem non quaero gloriam meam: est qui quaerat, et iudicet. 51. Amen, amen dico vobis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. 52. Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quia demonium habes: Abraham mortuus est, et Propheta; et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. 53. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est, et Propheta mortui sunt? Quem teipsum facis? 54. Respondit Jesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, 55. et non cognovistis eum; ego autem novi eum; et si dixerò quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo. 56. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit, et gavisus est. 57. Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? 58. Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. 59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.

1. JESUS AUTEM PERREXIT IN MONTEM OLIVETI. — Jesus toto die octavo et ultimo festi Tabernaculorum docuerat Hierosolymis in templo, et Phariseos confutavit: illi vespere domum ad cenam lautam redierunt de more, Jesum vero nullatenus invitavit ad hospitium et cenam, ob metum.